

TESSERA  
OFFICIOSI AMORIS,

QVAM,

VIRO

PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO,

DOMINO

M. DANIELI  
SALTHENIO,

SCHOLÆ LAT. IN ORPHANOTROPH. GLAVCHENSI  
HVC VSQVE INSPECTORI,

JAM VERO,

PROFESSORI PHILOSOPHIÆ,

IN

ACADEMIA REGIOMONTANA,

DESIGNATO,

ET

COLLEGII FRIDERICIANI,

QVOD

IBIDEM FLORET,

INSPECTORI ORDINARIO,

HALA IAM DISCESSVRO,

CALENDIS AVGVSTIS,

OMNI OBSERVANTIÆ CVLTV,

EXHIBENT,

PRÆCEPTORES SCHOLÆ LATIN. ORPHANOTR.  
GLAVCHENS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis JO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr. MDCCXXIX.



Kapsel 78 M 354 [132]

A 17



Uge, quam primum docuisse Phœbum,  
Fama persuasit patribus iocosa,  
Callidis pulchrum resonare chordis,  
Barbite, carmen!

Sufficit dudum iacuisse inertī  
Orio cantus. satis est, quiete  
Et situ tetro riguisse, chordas  
Sæpe loquaces.

Namque si quondam potuit canoros  
Orpheus nervos digito fugaci  
Prendere, & claros recitare dulci,  
Pectine, cantus:

Arte nunc omni est opus & labore,  
Gaudia ut nervo recinas sonoro,  
Et simul, quanti rapiant dolores  
Pectora, dicas.

Ille, quem claros retulisse honores,  
Atque præstanti nituisse fama,  
Gloriabamur, glacialis vrsæ  
Adpetit oras.

Adpetit terras glacialis vrsæ,  
Et procul gentes penetrat remotas,  
Sole quem nostro potius calere,  
Poscimus omnes.



Non virum Prusfi referent inertem,  
Cui dedit cæco, quod habet, fauore,  
Fama, vel fors cui tulit, impotenti  
Nomine, honores,

Virtus est, quam optant, nitidaue gemma  
Purpuraue omni melior vel auro;  
Sponte virtutem sequitur decorum  
Nomen & aurum,

Ergo gratamur decus atque honores,  
Quos **TIBI** summos peperitque virtus,  
Et viam pandit, **TIBI** mox futuri  
Muneris, amplam,

Perge, quo celsi vocat hic parentis  
Nutus; & quamuis mouet ipse sortem,  
Crede, præclaram **TIBI** & adfluentem  
Ferre salutem.

Augeat fructus numero carentes,  
Quos **TUVS** quondam labor excitabit;  
Augeat vitam, cumulæque vitæ  
Gaudia, Numen!

Gestient plausu, fremituque lato  
Obuiam surgent, quibus advocatum  
**TE** dabunt, alti, moderantis isthoc,  
Numina cæli,

Ast velut tristes miseris replentur  
Questibus siluæ, quoties requirunt  
Ipsæ oues, noti regimen magistri,  
Et loca sueta;

Sic & alternis reuocare **TEMET**,  
Cerne iam, nostros repetita alumnos  
Voce desertos; geminant & ipsi,  
Vota, magistri,

Quid iuuat dulces reocare menti  
Iam voluptates, quibus est peracta,  
**TE** scholæ pulchras retinente habenas,  
Vita colonis?

Quid iuuat lætum meminisse tempus?  
 Acrius semper stimulant dolores,  
 Quum negas **TEMET** precibus vocantum  
 Reddere vanis.

Quamlibet nostro renuas videri  
 Lumine, & nostræ decus esse Musæ:  
 Non tamen grato cecidisse credas  
 Pectore nomen.

Immo si nostrum repetendo quondam  
 Nomen agnosces, recalesque vultus;  
 Quum scholæ nostræ memorem nouabis  
 Pectore mentem:

Crede sinceras totidem fuisse,  
 Atque seruantes precibus fidele  
 Vinculum, mentes, totidemque semper  
 Porro futuras,

Ioua, qui cæli regis alta vasti  
 Sceptra, quem cunctus reuerenter orbis  
 Suspicit, cuius sequimur, vocati,  
 Iussa viasque!

Ioua, præsentis placidoque clemens  
 Numine, ausculta bona comprecantum  
 Vota, præsentis bona comprecantum  
 Numine firma!

Desine heic tandem tremulo ciere,  
 Barbite, in neruo, tenues canentis  
 Iam sonos; carmen tacito quiescat,  
 Barbite, ligno!



TESSERA  
OFFICIOSI AMORIS,  
QVAM,  
VIRO  
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO,  
DOMINO

M. DANIELI  
LTHENIO,

ET, IN ORPHANOTROPH. GLAVCHENSI  
HVC VSQVE INSPECTORI,

JAM VERO,

PROFESSORI PHILOSOPHIÆ,

IN

ACADEMIA REGIOMONTANA,

DESIGNATO,

ET

COLLEGII FRIDERICIANI,

QVOD

IBIDEM FLORET,

INSPECTORI ORDINARIO,

HALA IAM DISCESSVRO,

CALENDIS AVGVSTIS,

OMNI OBSERVANTIÆ CVLTV,

EXHIBENT,

RES SCHOLÆ LATIN. ORPHANOTR.  
GLAVCHENS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr. MDCCXXIX.

Kapsel 78 M 354 [132]

